



# The Holy See

---

PAULUS PP. VI

***EPISTULA AD OVENIUM S.R.E.  
CARDINALEM McCANN  
CIVITATIS CAPITIS ARCHIEPISCOPUM,  
QUINQUE COMPLENTEM LUSTRA  
EX QUO EPISCOPUS ORDINATUS EST***

**VOCEM EXULTATIONIS**

Vocem exultationis et gratiarum actionis in Ecclesia Civitatis Capitis Christo Iesu, Pontifici aeterno, plenius decebit insonare proximo adventante die, qui tibi, Venerabilis Frater Noster, perquam felix illucescet. Quinque enim complebuntur lustra ex quo ipse ordinatus es Episcopus. Piis tunc celebrandis in honorem tuum coetibus libenter animo adesse volumus ac participatione Nostra eis quasi sertum imponere laetitiae, prout poscit et exigit ecclesialis communionis reciprocum vinculum, arctius in praesens solidandum.

Tecum considerans hactenus decursa tuae viae itinera, recte potes sacri Psaltes gratulabunda significatione uti: «Deus, docuisti me a iuventute mea, et usque nunc pronuntiabo mirabilia tua» (*Ps. 70, 17*). Profecto, cum ad sacri ordinis gradum evector fuisti, tuis concedens precibus, dedit tibi Deus spiritum non timoris, sed virtutis et dilectionis et sobrietatis (*Cfr. 2 Tim 1, 7*). Neque in te reposita spes ullo modo fefellit, imo quo maiora credita sunt tibi munera in militia Christi, facta tua augestente amore et labore cum dignitate tua consenserunt. Primum Antistes Vicarius Apostolicus Civitatis Capitis, dein, cum constituta fuerit in Africa sacra Hierarchia, Archiepiscopus Metropolita eiusdem urbis, postea a Nobis, quod quidem valde delectat, Purpuratorum Patrum honore decoratus, vigore ingenii, prudentia consilii, sollertia operae praeditus, de catholicae Ecclesiae statu et incremento in Africana continenti terra egregie meritus es. Praeter alia tuae ascribitur magnanimitati, quod autochthonum civilia iura tuitus es et tueris. His quoque maiora abs te actum iri spondes, si, ut vis, sensum unitatis Ecclesiae, quae in Petri Sede divinis promissis fulcitur, concordiam fratrum, lectam eruditionem cleri, civium probitatem morum magis magisque defendes et provehes.

Nobis quidem videtur optima spe exspectari posse dilectae Nobis Africae secundiore eventus, si reconditi in penetralibus Ecclesiae thesauri, inaestimabiles prorsus, tuo magisterio et exemplo vitae hauriantur. Verissima enim est

S. Irenaei sententia: «Ubi Ecclesia, ibi Spiritus Dei; et ubi Spiritus Dei, ibi Ecclesia et omnis gratia: Spiritus autem veritas est » (S. IRENAEI *Adv. Haer.* III, 26). Deipara Virgo Maria, speciosior Cherubicis choris, Regina Ecclesiae, te tuosque benigno vultu aspiciat, semper salutaris opifera. Haec flagrantissima vota Apostolica Benedictio confirmat.

*Ex Aedibus Vaticanis, die XXIX mensis Aprilis anno MCMLXXV, Pontificatus Nostri duodecimo.*

**PAULUS PP. VI**

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana